

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1248

**Auteur(s) :** Guillaume le Bois [clerc]

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux, Notre-Dame (cathédrale)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1264, 27 avril

**Lieu d'émission :** Ver

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume dit Le Bois, clerc, donne en pure et perpétuelle aumône et garantit à l'église de Bayeux un hommage et des rentes sur un tenement à Ver : le chapitre lui verse 11 livres tournois.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCLXXII, t. 2, p. 203-204.

Texte établi d'après a

Sciant omnes, qui sunt et qui venturi sunt, quod ego Willelmus dictus Le Bois, clericus, pro salute animæ meæ et omnium antecessorum meorum, dedi et concessi, in puram et perpetuam elemosinam, Deo et ecclesiæ Baiocensi, ad usum capellani deputati ad celebrandam cotidie unam missam in ecclesia Baiocensi, pro animabus Guidonis, quondam episcopi, et Hugonis, quondam cantoris Baiocensium, homagium Margaritæ, filiæ Petri Paste, cum decem quarteriis frumenti, ad mensuram de Ver, quatuor gallinis et quadraginta ovis: quos redditus ipsa et sui participes mihi faciebant, singulis annis, seu facere tenebantur de tenemento quod tenent apud Ver, videlicet, de quadam grangia, et quadam parte cujusdam aliæ domus, cum terra retro adjacente, sita inter terram capituli Baiocensis, ex una parte, et terram Johannis Beiaucor (?), ex altera ; tenendum et habendum dictum homagium dictæ ecclesiæ, cum prædictis redditibus, ad usum dicti capellani et ejus successorum in dicta capellania, tanquam puram et perpetuam elemosinam, sine reclamazione aliqua mei vel hæredum meorum, cum omni jure quod ibi habebam seu habere poteram. Ego vero Willelmus teneor dictum homagium, cum prædictis redditibus, dictæ ecclesiæ, et capellano, et etiam mei hæredes, garantizare, et contra defendere, tanquam puram et perpetuam elemosinam ; et si non possemus defendere seu garantizare, tantumdem redditus dictæ ecclesiæ ad usum dicti capellani excambiare in nostra propria hæreditate, valore ad valorem. Et pro hiis garantizatione, et excambiatione facienda, si necesse fuerit, dictus capellanus, de bonis dictæ missæ, mihi dedit undecim libras Turonenses in pecunia numerata. Et, ut hoc sit firmum et stabile, præsentem cartam sigilli mei munimine confirmavi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, in octava Paschæ, mense aprilis, coram parrochia de Ver.